

# LINGUA ANGLICA AN LATINA?

PABLO KANGISER G.

[pablokangiser@gmail.com](mailto:pablokangiser@gmail.com)

## Summarium

Intendimus tradere argumenta pro hodierno Latinitatis usu eo consilio ne lingua Latina sub Anglica servitute deleatur; tamen desunt argumenta adversus linguae Anglicae usum, propterea quod haec lingua merito suum locum in mundo hodierno adeptam est. In argumentis exponendis valde iuvat liber a Gaio Licoppe, anno 2014 scriptus de Academia Latinitati Fovendae, ubi ostenduntur quidam motus adversus linguam neo Latinam, quorum causae non facile intelleguntur, nam saepe ab ipsis latinistis proveniunt.

## Claves

*Latinitas, neolatinitas, latinistae, philologi, Academia Latinitati Fovendae.*

## Resumen

Intentamos presentar los argumentos a favor del uso moderno del latín, con la intención de que la lengua latina no desaparezca bajo la servidumbre del inglés; sin embargo, no hay argumentos contra el uso de la lengua inglesa, puesto que esta lengua se ha ganado con toda razón su lugar en el mundo moderno. Al exponer los argumentos, fue de mucha ayuda el libro escrito por Guy Licoppe en 2014 sobre la Academia [creada] para Favorecer al Latín, donde se dan a conocer ciertas acciones contra la lengua neolatina, cuyas causas no se comprenden fácilmente, pues a menudo provienen de los propios latinistas.

## Palabras clave

*Latín, neolatín, latinistas, filólogos, Academia a favor del latín.*

## INTRODUCTIO

Abhinc annis quinque Gaius Licoppe, editor fasciculorum c.t. Melissa, in lucem dedit librum de Academia Latinitati Fovenda (Melissa, 2014), quem librum (410 paginarum), Latine scriptum, legi e prima ad paginam postremam. Quae infra sequuntur ea de libro summam deprimpsi, quibus meas cogitationes adiunxi, eo consilio ut ipse meis verbis argumenta proferrem de Latinitatis usu hodierno deque usu universali linguae Anglicae, quā igitur multae res et academicae et scientificae et oeconomicae et periegeticae facile et ubique tractantur (ut quondam Francogallice); Latinitate autem utimur ut de rebus historicis et philosophicis nec non hodiernis disputare humaniter possimus in republica litterarum praesertim per interrete. Cum vero Gaii Licoppe argumenta sive opiniones ad litteram referam, libri paginam indicabo.

Lingua Francogallica, postquam saeculo XVI unum sermonem (dialectum Île-de-France) in usu Francogalli habuerunt et omnis eorum ager una lingua unificatus est, in reliquam Europam maxime est pervulgata et praestantissime viguit usque ad saeculum XX, cum spatium Anglico sermoni paulatim cedere debuerit.

Attamen non omnes Europaei culturam anglophonam irrumpentem bono animo viderunt; inprimis numerandus est ingeniarius Francogallus Iohannes Capelle, qui anno 1952 linguam Latinam postulabat internationalem<sup>1</sup>, adeo ut homines docti ea in plurimis rebus uterentur, dum ratio docendi in aptiorem modum redderetur; huius vero ingeniarii verba non in vacuum ceciderunt, nam alii professionales vel medici et sacerdotes necnon Latinitatis professores postularunt quoque ut lingua Latina in usum cottidianum revocaretur; itaque congressus et conventus de lingua Latina docenda et colenda passim celebrabantur vel Avennionem (1956), Lugdunum (1959), Argentoratum (1963), Romae (1966), et alii non solum in Europa sed etiam foris vel in Senegalia (1973); etiam ephemerides sive editiones periodicae ortae sunt vel *Latinitas* vel *Vox Latina* et *Palaestra Latina* aliaequae; attamen in peius Latinitas in dies ruebat adeo ut ab schola media paulatim ablata esset usque ad abolitionem.

---

<sup>1</sup> Jean Capelle, *Le latin ou Babel*, dans Bulletin de l'Éducation nationale, Paris, 23 octobre 1952.

## LATINITAS IN DIES EVANESCIT

Causae huius abolitionis numerari possunt haec: plerique magistri vivam Latinitatem omnino nesciebant et discipulos cogebant transferre in linguam vernaculam opera classica, quae iuvenes saepe respuebant; huc accedit quod post bellum mundanum secundum multae nationes ius suffragii dederunt iuvenibus, qui vel adhuc scholam mediam adibant vel ex ea recentissime exierant et Latinitatem maxime repellebant; hi iuvenes, quoniam annum paene duodevicesimum suarum vitarum degerent, a politicis alliciebantur ad suffragium sub ea promissione, fere occulte dicta, ut Latinitatem, si eligerentur, abrogaturi essent; praeterea multi horum discipulorum parentes minime sollicitabantur quod filii sui Latinitatem ignorarent, nam ipsi cum discipuli suo tempore essent in schola, repellebant quoque linguam, quam mortuam vel inutilem putabant; tamen non subito sed paulatim abrogatio facta est, quia magistri timuerunt ne munera quae fungebantur statim amitterent, necnon mercedes, quas ex schola Latina accepturi essent.

## SERVITUSNE CULTURALIS SUB LINGUA ANGLICA?

Lingua Anglica per orbem terrarum merito usitatissima est, praeter Sinensem, sed haec solum intra suos fines, illa vero ubique noscitur; non autem omnes eodem modo Anglice didicerunt, nam in Statibus Unitis, Britannia aliisque nationibus quas Angli reppererunt et adhuc habitant, lingua Anglica ut materna discitur; infantes enim a cunabulis et audiunt et deinde balbutiunt donec rectum verborum ordinem perfacile teneant, neque est infantulis necesse grammatica, nam lingua materna mentibus naturaliter inhaerescit. Praeter maternam, aliam possumus postea discere linguam, quam minus facile mente tenebimus.

Omnes quidem alteram quoque linguam praeter maternam discere possumus, sed non omnes eodem perfectionis gradu illam habebimus; immo, non perdiscimus plerique, quod non infantes sed adulti in eam incumbimus; ut quisque propius est ab pueritia ita alterius linguae grammaticam et vocabula celeriter accipit; idcirco senes difficile novam linguam discunt nisi perseverantes sint in discendo aptoque a magistro, grammatica, lexicone edocti. Senes autem, qui cum pueri fuerint, linguam alienam vel Latinam didicerunt, in senectute apta methodo recuperare possint.

Qui vero linguam Anglicam non ut maternam, sed scholari aetate aut postea discere coepiunt, haud perfecta loquela atque ratiocinandi modo, paucis exceptis, utuntur; qui lingua sua materna utuntur argumentorum et loquela tractatum usumque habent facillimum; qui vero non suam sed aliorum linguam didicerint, non eadem facultate alieno sermone arguunt; res enim quotidianas per linguam vel maternam vel deinde acceptam sermocinando communicamus; in certando vero vel altercando qui lingua materna utitur ei, qui aliena lingua loquitur, facile antecellit. Latine scribentibus nemo antecellit nisi constantissimus in discendo; Latinitas enim nemini est hodie lingua materna.

Lingua Anglica his de causis nostris diebus ubique viget: primum, quod, secundo bello mundano pacato, multarum nationum gubernatores atque intellexerunt egenos, qui ad vitam agendam victu et rebus necessariis carebant, adiuvandos esse ne motus et violentia orirentur, atque omnes iudicarunt oeconomia esse opus ad vivendi modum meliorandum; unde patet Adamum Smith, qui scientiam oeconomicam condidit et librum notissimum *De Nationum Divitiis* Anglice scripsit, maximi momenti esse; et quoniam scientia oeconomica a cunabulis suis Anglice est tractata, hac lingua academici et oeconomistae uti coeperunt.

Secunda causa invenitur in ipso secundo bello mundano, nam nisi Americani Septentrionales in Europam adiuvandi causa pervenissent, alium finem haec pugna habuisset aut valde diuturna fuisset si nationes contra Germaniam consociatae sine Americanis debellare debuissent; inde facile intellegeres quanti Americanos eorumque linguam incolae Europaei, reflecta pace, merito fecerint.

Tertia causa est Septentrioamericanorum amplissimus ex libertate oeconomica progressus, qui multos allexit ut in Americam Septentrionalem migrarent, lingua Anglica praecognita; neque academici et scientifici sunt praetereundi, qui praemium Nobelianum multies acceperunt operaque magni momenti Anglice scripserunt.

Nullum igitur est mihi argumentum contra linguae Anglicae usum; quod nec fero nec patior est Latinitatis oppugnatio atque ludibrium adversus neolatinistas.

## LINGUA POTESTATIS AC DICIONIS INSTRUMENTUM

Magnopere igitur convenit reliquos nostra lingua materna uti ac loqui. Id quidem a Francogallis saeculo XVI compertum est: convenire ipsis lingua Francica quam plurimos uti, adeo ut suam linguam super exteras linguas consulto provulgarent, primo in ipsa Francia, constrictis in omni regione dialectis, deinde extra fines ut sermo usualis in legationibus sive rebus diplomaticis per totam Europam fieret. Id quoque contra Latinitatem partim accidit, quae lingua academiis cultuique catholico relicta est (protestantes autem linguis vernaculis a prima Reformatione uti maluerunt).

A saeculo ergo XVIII sermo Francorum, ut dictum est, in rebus exteris ab Europaeis paene unicus usurpabatur; praeterea multi optimates hunc sermonem extra Galliam passim adulti didicerunt et usurparunt usque ad dimidiam saeculi XX partem, cum Anglicus sermo ubique vigere incepisset, non solum ut lingua internationalis sed etiam ut technologica et academica denique ut lingua interretialis; ex centenis circa 80 internautae Anglice hodie scribunt.

Paene 400 Anglophonorum miliones linguam matrem didicerunt; sunt vero alii totidem, qui linguam Anglicam non ut matrem sed sedulo studio acquisitam colunt; horum alii illam perdiscunt alii fortasse plurimi recte legere possint, aegre tamen scribant, non sponte dicant, quos vero usu et dictione superant qui linguam Anglicam habent matrem vel a prima pueritia comparatam.

Libertatem profecto discendi linguas quas velimus habemus et servare debemus. Non pauci academici in Statibus Unitis Latinitatem feliciter callent, neque vero ibidem deesse videntur qui linguam matrem reliquis populis imponere consulto conentur; id si fieret, praeter beneficia tecnologica et academica, quae multis prosunt, servitute quadam culturali sub lingua Anglica reliqui afficeremur.

## PHILOLOGI ET NEOLATINISTAE

In hac Latinitatis clade ac ruina duae positiones ortae sunt, quae valde dissimile de lingua Latina diiudicant: sunt enim et philologi, qui unice veterem sive classicam Latinitatem dignam lectu ac discitu putant, et neolatinistae, qui usum hodiernum fovemus nec non Ciceronis aliorumque veterum cottidianam quidem lectionem.

In libro de Academiae Latinitati Fovendae Historia Gaius Licoppe, documentis innixus, nobis demonstrat Academiae ortum, qui Latinitatis usum hodiernum postulabat, et statum Academiae hodiernum, in philologorum manibus, qui nihil nisi veterum lectionem dignum atque fructuosum putant; praeterea multi philologi nos neolatinistas rident et Neolatinitatem habent rem quasi pudendam; habetur enim atra manus atque occulta quae Neolatinitati magnopere obstat, quapropter memoranda sunt haec:

1. Anno 1987 Meldis (vulgo Meaux) fere viginti neolatinistae congregati sunt tres horas invicem Latine loquentes; ibi fuit diurnarius nomine Petrus Champetier ab statione televisifica Francogallica (A2) qui voluit sessioni participantes instrumentis televisificis excipere, eo consilio ut telehorasice transmitteretur; at tale programma numquam emissum est; “paulo post —tamen— in eadem statione exhibita est Genovefa Immè cum marito Antonino graviter aegrotanti breviter et pueriliter Latine loquens et deinde translationem Latinam cantūs nationalis ‘La Marseillaise’ modulans; sic Latinitas viva apparebat ut res ludrica sine momento” (Licoppe, pag. 215); quaerendum est igitur quae de causa diurnarius sive —quod potius est credibile— sedis televisificae praepositus consilium mutavit; aliquisne ab umbra id suasit?

2. Anno 1999 Candidus Mendes, Brasiliensis, et alii intellectuales operam dederunt ut *Accademia della latinità* conderetur; haec in Pisana Schola Normali vel Bononiae in studiorum universitate sedem habitura putabatur; haec Academia pugnatura esset contra “invadentem culturam Anglosaxonicam” (Licoppe, pag. 313); attamen numquam re vera creari potuit.

3. Anni autem 2012 mense Aprili, Antonius Capellán, Hispanus qui, annis praeteritis, in Academiae sessionibus semper comiter et urbanissime se gesserat, litteras Academicis sodalibus circum misit atque vituperationibus contra Aloisium Miraglia atque calumniis plenas; praeterea euronum 12 milia promisit sub ea condicione, ne Academiae statutum mutaretur; cogitabatur enim Latinitas viva aperte in eo commendari (Licoppe, pag. 388); cur euronum tali proposito promissit? cur voluntatis mutatio atque urbanitatis contemptio? unde vero isti euronum?

4. Anni 2012 mense Novembri, in Pontificia Academia Latinitatis a Benedicto XVI condita, Ivanus Dionigi praeses, qui rector quoque est

Universitatis Bononiensis, Aloisio Miraglia, suam opinionem proferre cupienti, quodammodo tyrannice dixit non omnium opiniones audiri posse, reliquis academicis obsequentibus (Licoppe, 397-400).

Franciscus Pontifex Maximus cum sedem Petrinam primo possideret, refellit Latinam homiliam quam ei assessor paraverat et Italice verba christifidelibus fecit; Ecclesia, quae quam multis hominibus evangelium praedicare debet, linguane Latina uteretur? non possumus Latinitatem renascentem ab Ecclesia exspectare.

#### ACADEMIAE ET SODALITATES QUID POSSINT?

Ex corporationibus privatis vel statalibus vel Academia Latinitati fovendae auxilium fortasse speramus? cur tandem ad Latine discendum aut loquendum academiae vel sodalitates vel personae iuridicae sint condendae? condantur si qui velint, sed potissimum est per interrete litteras Latinas promovere; de paginis vero interretialibus iam apud neolatinistas feliciter actum est multaeque ortae sunt, sed exceptis admodum paucis, non cottidie sed raro renovantur, ita ut diebus peractis vel etiam mensibus nihil novi in iis inveniatur; multum quoque iuvabit Latinistarum opiniones per ephemerides perque diarios lingua quoque vernacula divulgandas esse, eo consilio ut argumenta pro Latinitate cives possint sua cuiusque lingua intellegi; eosdem convenit vocare ad paginas retiales Latine scriptas vel Ephemeriden<sup>2</sup>. Syntaxim Latinam nescit qui non valet ad Latine scribendum.

Quae cum ita sint, difficilis via ad Latinitatem esse videtur; sin autem una tantum pagina interretialis cottidie esset renovata ut legere possimus de historia antiqua et hodierna deque omnibus rebus, non omnis lingua Latina morietur; at quid cogitant philologi qui et rident usum Latinitatis hodiernum et respuunt? multi tamen neolatinistae nomina sua celant et pseudonimis utuntur, fortasse ne ipsis ludibrio sint.

#### LINGUA LATINA VIVA AN MORTUA?

Iam vero diu multumque disputatum est utrum lingua Latina sit mortua an non; dicitur mortua esse quod a Cicerone usque ad hodiernos dies eius syntaxis vix est mutata; vocabularium, quoad res postulat, unice nova verba accipit ad res hodiernas significandas; tamen etiam

---

<sup>2</sup> <<http://ephemeris.alcuinus.net/>>.

possumus linguam Latinam esse mortuam alia de causa affirmare, nam nemini hodie haec lingua est materna sive nativa; pueri enim qui Latinitatem a cunabulis didicerunt saeculo V vel VI nati sunt et nempe Latinitatem iam valde corruptam audierunt; sed Latinitas non est lingua artificialis sicut esperantica; haec nunquam re vera in historia viva usurpata est<sup>3</sup>; Latinitas vero plus quam mille annos vixit vitamque eorum qui iam non sunt continet et prospera et tristia eorundem nobis transmittit, nosque de rebus historicis meditari coget.

#### LECTIONEM CURSORIAM EXERCEAMUS

Latinitas classica ne evanescat Latinitate eget hodierna; cum de rebus hodiernis Latine legimus, facile et penitus intellegimus, velut si vernacula lingua uteremur. Lectio igitur cursoria lectorem valde praeparat ut adeamus litteras Latinas ab iis scriptas qui Latinitatem linguam maternam tunc vigentem coluerunt; libros igitur hodiernos et ephemerides ac paginas interretiales oportet divulgari, quo ii qui olim litteras Latinas didicerunt possint ad cultum civilem atavicum denuo appropinquare. Europaei videntur identitatem suam iam amissam iudicare ac minime hac re sollicitari; interea ab orientalibus plagis novi mores ac linguae paulatim ingrediuntur.

#### COTTIDIE SCRIBERE, COTTIDIE LEGERE

Haec omnia quae narraui atque excogitavi me monuit, ut dixi, Gaii Licope opus cui titulus *Academia Latinitati Fovendae, eius historia per motum Latinitatis vivae considerata (1952-2012)*, Melissa, 2014; quapropter, ut finem scribendi faciam, duo velim lectoribus proponere: alteram quaestionem de Latinitatis obice, alterum pro Latinitate consilium; quaerendum ergo est an linguisticis atque culturalibus obstaculis in Latinitate colenda subiaceant; Americani quidam nationalistae quandam cooperationem culturalem internationalem —ut opinor— cupiunt silenter creari, eo consilio ut pax in orbe terrarum facilius habeatur, quod consilium equidem probo, sed nego id una lingua i.e. Anglica perficiendum esse; immo libertas in quacumque lingua opinandi est omnis cooperationis condicio; praeterea si aliqua lingua reliquis anteponeretur, qui ea materna utuntur facilius quam reliqui

---

<sup>3</sup> <<http://www.alcuinus.net/ephemeris/archi2010/nuntius2.php?id=495>>.



arguere, disceptare, narrare possint; deinde propono ut latinistae scripta ad paginas retiales cottidie renovandas mittant, ita ut aliquod novi lectores semper lectu dignum putent; alio modo Latinitas supervivere non poterit; et una cum hieroglyphicis Aegyptiis sub terra perpaucis peritis requiescet.

